

**De pessariis : theses anatomico-chirurgicae, quas, Deo juvante, & praeside
M. Petro-Mathurino Botentuit Langlois ... / tueri conabitur,
Joannes-Baptista Parroisse.**

Contributors

Parroisse, Jean-Baptiste.
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Ex-typis Clousier, 1788.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bw3dn65e>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

54

DE PESSARIIS.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUAS, Deo juvante, & preside M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgia Magistro, antiquo Scholarum Moderatore, antiquo Schola practica Professore, Regia Chirurgorum Academiae Socio, in Supremo Senatu Patrone, tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA PARROISSE Augustodunensis, in alma Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.

Die Martis 23^a mensis Septembris, anno R. S. H. 1788, à sesqui-secondâ post meridiem ad septimam.

P A R I S I I S ,


IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,
ET MAGISTERII LAUREA.



Ex-Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiae Collegii, Typographi,
viâ Sorbonæ.

M. DCC. LXXXVIII.



CLARISSIMO VIRO
D. LUCAE-VINCENTIO THIERY,
LITTERIS, ARTIBUS ET SCIENTIIS OMNIBUS ORNATISSIMO,
CARISSIMO SOCERI,
IN PERPETUAM GRATI ET VENERANTIS ANIMI MEMORIAM,
DICAT, VOVET, CONSECRAT

J. B. PARROISSE.

M.DCC.XXII



DE PESSARIIS. T H E S S ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

CUM longâ quiete, diuturno decubitu, medicamentisque corroborantibus curari nequit uteri prolapsus seu procidentia, mediis mechanicis retineri solet suum in locum repositus uterus. De his dicturi mediis, ut melior pessorum materies & forma feligatur, probèque & sine uteri & vaginalæ læsione immittantur, partium anatomiam breviter, & quantum nostrum requiret propositum, exponemus.

E X A N A T O M I A.

Uterus, viscus cavum, inter intestinum rectum vesicamque urinariam, in hypogastrio situm, piri complanati formam referens, in fundum, corpus, cervicemque dividi solet: duæ quoque facies in eo viscere distinguuntur, quarum anterior altera, altera verò posterior, duoque proinde margines seu limbi, alter ad sinistram, alter ad dextram respiciens.

Uteri cervix præcipue nobis consideranda, inferius in acumen desinit, & in superiorem vaginalæ extremitatem plus minusve intruditur. Hic quamdam prominentiam efformat in *cesticillum*

A

2

concinnatam , transversâ & ovatâ aperturâ perforatam , quæ ostineæ , seu uteri orificium nuncupatur.

Talis est naturalis uteri situs , ut superior sit & posterior fundus , corpus medium obtineat , inferiùsque & anteriùs vergat cervix . Hâc ultimâ parte , anteriùs vesicæ , posteriùs intestino recto cohæret , itâ ut ab utroque non nisi violenter avelli possit : corpus verò & fundus ligamentis latis , teretibus , & posterioribus laxè tantùm retinetur .

Lata ligamenta è peritonæo orta , à pelvis inferioris lateribus ad uteri margines protenduntur , pelvisque cavitatem in duas partiuntur , anteriorem nempè & posteriorem . Superiùs duo in pterygia abeunt , quorum anterius tubam fallopiam , posterius ovarium complectitur : in uteri corpus fundumque extenduntur , exterioremque ei membranam suppeditant . Ubi majorem in molem crescit , & pelvim transcendit uterus , magis ac magis extenduntur hæc ligamenta , rugas plicaturasque amittunt , & utrinquè utero propriis applicantur : pariter ubi inferiùs quam situ naturali descendit uterus , vel elongantur , vel ab utero quasi decorticantur , ut pote laxâ rarâque telâ cellulari retenta , & utroque casu facilem prolapsum permittunt .

Ligamenta rotunda duo sunt veluti funiculis à superioribus uteri partibus hinc indè obliquè inter latorum ligamentatum duplicaturam descendentes ; externi abdominis musculi annulum transeunt , & in plura dividuntur gracilia filaments , quæ versus pubem & inguina evanescunt . Hæc filaments vasa sunt ut plurimum sanguifera , quibus internæ genitales partes cum externis communicant .

Duae sunt etiam aliæ peritonæi duplicaturæ , quæ posteriora uteri ligamenta nuncupantur . Postquam enim peritonæum posticam & inferiorem hujus visceris partem obtexit , ad vicinam intestini recti partem protenditur , rugamque semilunarem hinc indè efformat , retroverso anteriùs utero , magis conspicuam . Cervicem uteri pariter sustinent hi duo peritonæi processus , & ne anteriùs inferiùsve nimium deferatur prohibent .

Vagina canalis est membranaceus , musculosus , & vasculosus , obliquè vesicam inter & intestinum rectum positus , ab utero cuius cervicem amplectitur , ad vulvam seu pudendi orificium anteriùs descendens . Quinque sexve pollices longus , non eâdem diù latitudine gaudet , valdè enim contractilis & extensilis , modò strictior , modò latior videtur . Superiùs peritonæo obvolvitur , inferiùs in vicinâ pelvis cellulari telâ immergitur .

3

Internè rugosus, multiplices offert plicaturas quæ anteriùs & posteriùs magis quàm ad latera confpiciuntur. Orificium hujus ductùs externum quodam veluti corpore cavernoso circumdatur, quod *retiformis* plexus audit. Superiùs verò, altiùs quàm uteri cervix ascendit, fundulumque circularem circa hanc hujus visceris prominentiam efficit, in quem immisus digitus undique circa os *tincæ* deduci potest.

È C H I R U R G I A.

Quod in quâlibet partium corporis dimotione fieri suadent authores, ut ipsæ ad situm naturalem revocentur, contineantur, accidentia si quæ sint corrigantur, futuraque præcaveantur, idem profectò in uteri prolapsu pariter præcipiendum. Sed variis, quas tunc sequitur Chirurgus, de industriâ omisssis indicationibus, ut pote jàm concinnè & eleganter tractatis (1), media tantùm mechanica quibus præcavetur mali reditus in hoc programmate perpendemus. Quænam igitur materies, quænam forma pessariis melius convenient, quomodò accidentia ex eorum usu imminentia prævertantur, exponere conabimur.

Pessi seu pessaria apud veteres dicebantur medicamenta solida, digitæ formam referentia, quæ ad varios uteri morbos in sinum pudoris immittebantur; hoc verò nomine hic intelligimus corpora diverse configurata, ex diversâ materie conflata, quæ in vaginam indita, uterum inferiùs quam par est delabi prohibent.

Nulla ferè datur materia ex quâ non aliquandò pessi confecti fuerint. Sed præcipue usurpantur aurum, argentum, spongia, lignum, ebur, elasticum gummi, & suber cerâ cunctum.

Cùm auro conflantur, lamina tantùm metallica in se ipsam contorquetur, vacuo intus relicto, ut levius sit pessarium; sed nihilominùs etiam tûm ponderosius est, quàm ut commodè à muliere gestari possit: aliud etiam ex ipsâ metalli duritie nascitur malum; nam ut in situ retineatur pessarium, vi quâdam immitti, & firmiter duobus oppositis pelvicolæ punctis inniti oportet, & hâc ipsâ pressione partes admodum sensibiles læduntur & contunduntur.

Cùm materiæ pretium impedit quominùs aurei apud pauperulas mulieres communem in usum veniant pessi, ex argento

(1) Vid. Thesim de uteri prolapsu in Schol. Chir. anno 1771, præside celeberr. D. Chopart propugnatam.

quoque confecti fuerunt. Sed hic , ut prædicta omittamus , gravius etiam aliquid timendum est , ne facile nimis dissolvantur , corrodantur , perforentur , destruantur. Quanta inde oriantur accidentia , inter multas alias , clarè demonstrat observatio à celeberr. D. Morand , in actis Academicis Tom. III , p. 614 , relata , in quâ legimus non nisi multâ vi , plurimâque laceratione extrahi potuisse pessarium argenteum aliquot per annos in vaginâ relictum : quòd scilicet plurimis in locis corrosum & perforatum fuerat , & in ea foramina hypersarcoses vaginæ & uteri collo adnatæ sese paulatim insinuaverant.

Ex iisdem rationibus pariter exulare debent pessi qui existanno , plumbo , aliòve quovis metallo conficiuntur.

Tutiorem igitur in usum venire posse videntur eburnei : sed nec ii quoque omni vacant incommodo : ebur enim quandoquè , licet rarissimè emollitur , & primam omnino formam immutat : quod constat observatione quam cum Academiâ communicavit celeberr. D. Camper , in quâ pessarii eburnei superficiem imminutam , caudamque contortam fuisse memorat.

Spongia à quibusdam admissa fuit , sed tunc tantùm utiliter abhibetur , cùm levior est uteri prolapsus , cùmque resupina diù decumbens , ab omni motu abstinet mulier : quo fit ut meritò dubitetur pessario ne an quieti debeatur quòd malum rursùs non recurrat. Spongia aliundè in eo nocere potest , quòd fiat ibi omnium humorum quasi receptaculum , qui per se jàm acres & fætidi , majorem & acrimoniam & fætiditatem calore & humiditate loci suscipiunt : undè nisi sæpiissimè immitentur , majora quandoquè ex remedio , quàm ex ipso morbo nasci possunt accidentia.

Nec aptius etiam pessis conficiendis videtur lignum. Si durum eligatur , pondere & duritie vaginam lœdet : si molle & tenuum , mox vitiabitur , magis magisque emollescit , in putredinem abibit , & accidentium nascetur myriades.

Novissimis temporibus plurimum invaluit , frequentemque in usum venit elasticum gummi , quod plurimis , sed non omnibus incommidis vacat : modò enim ità mollescit , ut jàm optatum non obtineat scopum , modò ità indurescit , ut vaginam & ipsam uteri cervicem quandoquè lœdat.

Ex subere tandem conficiuntur pessaria , quæ deinde cerâ colliquatâ , & gypsi cristallisati decimâ parte immixtâ continentur. Hæc cæteris omnibus præstare nobis videtur materia.

Enim verò 1º. metallo mollior , pariter non resistit , nec proindè partes in quas immittitur lœdere potest.

5

2º. Multò levior , nec intestinum rectum nec urethram gravat , liberæque fiunt utriusque hujus organi functiones.

3º. Nihil timendum de rubigine quâ metalla corroduntur ; arcenturque accidentia quæ in superiùs memoratâ celeberrimi D. Morand observatione recensentur.

4º. Formam , ut ebur , non amittit : humores , ut spongia , non ebibit : eorum acritudine non tam facile vitiatur ; ac proinde , si diutiùs , quam par est , in vaginâ remaneat , non eadem tam citò imminent pericula.

Ut autem cæteris omnibus , uti contendimus , reverà prætent ex subere & cerâ compositi pessi , multæ sunt in iis confiendis cautiones adhibendæ , ne , iis omissis , in medium ipsum refundatur vitium quod negligentia potius tribuendum foret . Illæ autem cautiones tûm ad suber , tûm ad ipsum fabricandi modum referuntur.

Suber primùm eligendum est album nitidumque , compactum , sanum , nullis fissuris , nullâ carie vitiatum . Secanti instrumento præparatur : radulâ deindè & minùs edaci limâ perpolitur & concinuatur ; tûm pistorio furno exsiccatur : cerâ liquefactâ posteâ immergitur , deindè extrahitur , iterumque atque iterum eâdem cerâ illinitur , usquedum cereâ crustâ , ad unius lineæ crassitiem , circumdetur . Vid . Dissert . celeberr . D. Levret in Medico diario , Tom . xxxiv , pag . 428 . Aliquando tamen istis repetitis immersionibus , fit crusta lamellata , quæ squamatim decidere potest : quod ut vitetur vitium , cera liquefacta in typum , ubi suber ritè aptèque collocatum , veluti nucleus erit , infundatur . Hæc nisi accuratissimè fiant , corticali cerâ mox orbantur pessaria , in intimum suber penetrant vaginæ & uteri humores , suber emollitur , distenditur , corruptitur ; & in discrimen eo majus quandoquè adducitur mulier , quod de fluore albo diù tantùm conqueritur , antequam de pessario penitus obliito cogitet , nec auxilium vocat , nisi ubi maximè ingravescit malum .

Quoad pessiorum formam , duplex præsertim adhibetur , eorum nempè quæ petiolo gaudent , dicunturque gallicè (en bilboquet) , & eorum quæ annulum seu potius ellypticam figuram referunt .

Quæ petiolo gaudent ideo fuerant excogitata , ut pressio in vesicam & rectum vitaretur , firmiusque & certius repelleretur uterus , ubi minùs recurvæ ossis oschii tuberositates pessarium non retinent . Sed circulari in ellypticam mutatâ figurâ pelvis tantùm lateribus innititur pessarium , nec intestini

recti, nec urethræ functiones laedit; deinde cùm nec minus nec latius est, satis firmiter uterum in plerisque mulieribus retinet, ut nihil jàm de prolapsu timendum sit. Aliis etiam incommodis obnoxia patent petiolo donata pessaria, quòd funiculi & habenæ quibus retinentur, urinâ aliisque humoribus semper madida, fætiditatem, inflammationem, excoriationesque aliquando producant; quòd petiolum perpetuâ vacillatione & vaginam & vulvæ orificium laedat; quòd lapsu improviso contusionibus ansam præbere possint; quòd veneris usum prohibeant, &c. Ex his igitur videtur ellyptica anteponenda esse pessaria, quæ nullo indigent retinaculo, & semel immissa, partibus osseis firmiter innituntur. Superiùs paululum concava sint necesse est, ut faciliùs certiusque uteri orificium excipient. Foramen autem medium nec amplius sit, nec strictius. Si strictius, difficile uteri humoribus iter patet: si amplius, hâc sese insinuare posset uteri cervix, & ibi veluti strangularetur.

Nihil supereft quàm ut generalia quædam de pessos immitendi modo breviter addamus (1). Quod ut probè fiat, intestinum rectum enemate, vesicamque urinariam catheteris ope priùs evacuare non abs re erit, ne his neglectis cautionibus, pessi immissio difficilior evadat. Resupina decumbit mulier, diductis cruribus, natibus elatis, genubus paululum contractis, pedibusque cubilis margini innixis. Alteram pessarii extremitatem digitis tenet Chirurgus, alteram oleo illinitam vulvæ, secundum ipsius longitudinem obvertit, & paulatim leniterque, inferiorem vulvæ commissuram premendo, immittit in vaginam, dùm alteriùs manùs digitis labia vulvæ, ne laedantur, ducit ac dimovet. Tùm posticè, inferiùs, & versus intestinum rectum pessarium trudit, deinceps majorem ipsius diametrum ad utrumque os ischion obvertit, concavâ superficie ad uteri orificium respiciente. Tandem digito pessarium semper in vaginâ retinens, alterâ manu mulierem sustinet, ut sese parum erigat, lectoque insideat, quo fit ut pessarii concavitati sese accommodet uterus. Linteum muliebre dein vulvæ orificio admovetur, & mulieri suadetur ut per aliquod tempus ab incessu abstineat.

(1) Vid. jàm laudatam celeberr. D. Levret dissert.